An. et vol. XXXIII 21 Aprilis 1941 (Ser. II, v. VIII) - Num. 4

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

## COMMENTARIUM OFFICIALE

**SUMMARIUM**

**Acta Pii Pp. XII**: Litterae Decretales, p. 97 - Litterae Apostolicae, p. 109 - Epistula, p. 110 - Nuntius Radiophonicus, p. 112 - Allocutio, p. 117.

**Acta SS. Congregationum**: *S. S. C. S. Officii*: I. Decretum, p. 121. II. Monitum, p. 121 - *S. C. Consistorialis*: I. Decretum, p. 122. II. Provisio Ecclesiarum, p. 123 - *S. C. de Propaganda Fide*: I. Decretum, p. 124. II. Provisio Ecclesiarum, p. 125. III. Nominatio, p. 125 - *S. C. Rituum*: I. Decretum introductionis causae beatificationis S. D. Franciscae Annae a Virgine Perdolente, Cirer Carbonell, p. 126. II. Decretum quo S. Michaël Archangelus pro Radiologis et Radiumtherapeuticis Patronus ac Protector declaratur, p. 128.

**Acta Tribunalium**: *S. Paenitentiaria Apostolica*: Decretum. Indultum circa pia exercitia per mensem agenda, p. 129 - *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 130.

**Diarium Romanae Curiae**: Udienza solenne - S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze - Necrologio, pp. 131-136.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLI

**Directio:**
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
**Administratio:**
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

**Pretium annuae subnotationis:**
In Italia, Lib. 35 — extra Italiam, *L. it.* 55 —
**Pretium unius fasciculi:**
In Italia, Lib. 4 — extra Italiam, *L. it.* 4,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

# INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIII, n. 4 - 21 Aprilis 1941)

## ACTA PII PP. XII

### Litterae Decretales


pag.

*Sanctitudinis culmen.* – B. Gemmae Galgani, virgini, Sanctorum honores decernuntur. – *2 Maii 1940* . . . . . 97


### Litterae Apostolicae


*Exstat intra Goritiensis Archidioecesis.* – Basilicae Minoris honoribus decoratur archipresbyterale templum ad honorem Sancti Ambrosii Episcopi et Doctoris, in urbe «Monfalcone» intra fines Goritiensis archidioecesis, Deo dicatum. – *7 Decembris 1940* 109


### Epistula


*Quamvis plane.* – Ad Emum P. D. Aloisium S. R. E. Presb. Card. Maglione a publicis Ecclesiae negotiis: publicae supplicationes iterum indicuntur ad populorum pacem conciliandam. – *20 Aprilis 1941* . . . . . 110


### Nuntius Radiophonicus


*Di cuore inviamo a tutti voi.* – A Beatissimo Patre, die 13 Aprilis a. 1941, in Paschate Resurrectionis D. N. Iesu Christi, universo orbi datus . 112


### Allocutio


Ad Legatum Ordinis Hierosolymitani . . 117


## ACTA SS. CONGREGATIONUM

### SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII


I. Decretum. Proscriptio libri. – *29 Martii 1941* . . . . . 121

II. Monitum. De praevia librorum censura. – *29 Martii 1941* . . . . . 121


### SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS


I. *Faventinae et Imolensis.* – Decretum. De finium dioecesium immutatione. – *16 Novembris 1940* . . . . . 122

II. Provisio Ecclesiarum . . . . . 123


### S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE


pag.

I. *De Siwantze - De Tsining.* – Decretum. Dismembrationis et unionis. – *20 Februarii 1941* . . . . . 124

II. Provisio Ecclesiarum . . . . . 125

III. Nominatio . . . . . 125


### SACRA CONGREGATIO RITUUM


I. *Maioricen.* – Decretum introductionis causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Franciscae Annae a Virgine Perdolente, Cirer Carbonell, sororis professae Instituti Sororum a Caritate dioecesis Maioricensis. – *4 Decembris 1940* . . . . . 126

II. *Dioecesium Italiae.* – Sanctus Michaël Archangelus pro Radiologia et Radiumtherapeuticis Patronus ac Protector declaratur. – *15 Ianuarii 1941* 128


## ACTA TRIBUNALIUM

### SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA


Decretum. Indultum circa pia exercitia per mensem agenda. – *10 Martii 1941* . . 129


### SACRA ROMANA ROTA


Citatio edictalis: Passavien. – Nullitatis matrimonii (Bauer-Ellerbeck). – *5 Aprilis 1941*. . . . . 130


## DIARIUM ROMANAE CURIAE


I. Udienza solenne . . . . . 131

II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 131

III. Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* . . . . . 132

IV. Necrologio . . . . . 136

An. et vol. XXXIII 21 Aprilis 1941 (Ser. II, v. VIII) – Num. 4

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

## ACTA PII PP. XII

### LITTERAE DECRETALES

B. GEMMAE GALGANI, VIRGINI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sanctitudinis culmen ille haud dubie attingit, qui, ad sacrum fontem nuncupatis votis integram servans fidem et Christi caritatis divitiis affluens, in animi simplicitate cordisque puritate totum Sancti Spiritus charismatibus se tradit. Paucis vero datum est sublimen huiusmodi perfectionis attingere gradum; attamen in Ecclesia Dei nulla unquam aetate et quaquam natione viri defuerunt ac mulieres, qui in christifidelium exemplum et in bonorum solacium proferri possent. Quispiam namque identidem e christiana plebe exoritur, quem quidem humilem et infirmum mundus arbitratur, ille vero, Christi luce conlustratus, fortes et superbos confundit.

Hodie siquidem Nos, qui, licet immerito, ineffabili Dei consilio Beati Petri Apostoli successores, Christi Iesu vices gerimus in terris, inerranti oraculo ad supremos Caelitum honores humilem et mundo fere ignotam Virginem, Gemmam Galgani, eveximus, quae in brevi suae mortalis vitae decursu, vivam Crucifixi imaginem ita in suo corde expressit, ut universum catholicum orbem stupore et admiratione repleverit, sublimaque commoverit teneritudine.

Camiliani illa, in parvo Lucensis archidioecesis oppido, in Etruria, ex piis honestisque parentibus, Henrico Galgani et Aurelia Landi, nata

die decima secunda mensis Martii, anno millesimo octingentesimo septuagesimo octavo, insequenti die in paroeciali S. Michaëlis Archangeli ecclesia baptismali aqua abluta est. Lucae vero, in quam urbem vix post mensem ab eius ortu pater domesticos transtulit lares, in ecclesia S. Michaëlis in Foro, anno millesimo octingentesimo octogesimo quinto, die sexta et vicesima Maii mensis sacro chrismate linita; qua die primum praescientiae dono insignita esse dicitur, et, a Spiritu Sancto edocta, dilectissimam matrem paulo post morituram esse rescivisse; prout revera evenit.

Nam sequenti anno, die decima septima mensis Septembris, mulier electa, diro morbo consumpta, sanctissime obiit.

Suavissimae matris, quam ardenti diligebat amore mortem, etsi acerbissimo dolore, forti et aequo animo tulit.

Interea instituenda ac litteris erudienda traditur piae feminae Helenae Guerra, quae Instituti Oblatarum Spiritus Sancti, vulgo Sororum S. Zitae, fundatrix fuit. Qua magistra, tam in litteris addiscendis, quam in sanctimonia non mediocres fecit profectus. Tenellam iam aetatem agens nihil puerile gerebat, atque animi candorem et angelicam modestiam, eximiam pietatem et flagrantem in Deum amorem prae se ferebat; potissimum vero erga Iesum Christum Crucifixum, in cuius meditandam et contemplandam Passionem caelitus trahebatur, tenerrimam gerebat pietatem.

Vix novennis, studio ardens eucharisticum panem primum recipiendi, anno millesimo octingentesimo octogesimo septimo, die festo Sacratissimo Iesu Cordi dicato, voti sui compos facta est; ex quo divino convivio tantam spiritus percepit pinguedinem, ut exinde nihil aliud cuperet quam cum Christo in eucharistico mysterio supernaturalem vitam vivere, in virtutes magis in dies, divino Magistro duce, proficere, ac perfectionis semitas animosa arripere.

Uti plurimorum sanctorum vitam crucis sigillo plerumque notatam legimus, ita Gemmae totus mortalis vitae cursus doloribus repletus fuit atque illa vere dici potest *lilium inter spinas*: lilium suavitatis effundens odorem inter multiplices corporis et animi tribulationum spinas, quae eam continenter pupugerunt. Ac revera tam gravi morbo primum correpta est, ut studia et ipsum pium institutum, ubi degebat, relinquere et ad suam domum reverti sibi necesse fuerit. Alium graviorem morbum invicta tulit patientia anno millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, ac deinceps usque ad mortem mala valetudine atque doloribus fere continuo affecta est. Interea pater eius, iniquorum hominum fraude circumventus, in egestatem redactus et immatura morte praereptus, in summa

paupertate liberos reliquit. Gemma vero divinae acquiescens voluntati dilectissimi parentis mortem ac totius rei familiaris iacturam forti animo pertulit. Tum apud amitam in loco vulgo *Camaiore* aliquandiu permansit, ibique laborando, orando et Christo Domino inhaerendo dies transegit; sed illa, ut honesti viri nuptiarum occasionem vitaret, quippe quae virginitatem suam Iesu illibatam devovisset, gratiis amitae actis, ad propriam domum, licet squalore obsitam et miserrimam, reversa est. Ibi quoque gravibus corporis infirmitatibus afflicta, eas initio ob eius singularem modestiam celare studuit, ne ab arcessitis medicis tangeretur.

Interdum, ingravescente morbo, de eius salute desperabatur; sed, etsi Gemma supremum inhiabat diem, quo ad caelestem Sponsum sibi advolare fas esset, Deus tamen eam adhuc diuturna infirmitate devexari voluit, donec miro modo, uti fertur, convalesceret. Interea mirifica haec sanatio magis ac magis in eius corde divini amoris flammam accendit; ac ut debitas pro beneficio Deo gratias referret, religiosam vitam in aliquo pio instituto amplecti statuit; sed, quamvis omni ope id consequi contenderet, voti compos fieri minime potuit. Aliud erat de electissima virgine illa Dei consilium. Hinc etenim ardentiori in Christum Iesum cruci affixum amore ferebatur, ita ut nihil antiquius haberet, nihil dulcius quam, procul ab humanarum rerum strepitu, sanctissima Iesu Christi vulnera meditari, eiusque passionis cruciatuum se quodammodo participem fieri, ut resurrectionis et gloriae compos aliquando foret. Anno millesimo octingentesimo nonagesimo nono eximia Dei Famulae pietas et modestia cuiusdam piissimae Lucensis familiae, cognomento Giannini, tantam excitavit admirationem, ut in domum suam tamquam filiam eam humaniter receperit. Novo in hoc domicilio Gemma, ad spiritualis vitae exercitiis vacandum sollicitior facta, nihil tamen omittebat, ut familiaribus negotiis vel humilibus, praecipue infirmorum curae, praesto esset; diutinos cum electa illa femina, Caecilia Giannini, quae ipsi quasi mater fuit adoptiva, de Iesu rebusque spiritualibus sermones habebat; a saeculi vanitatibus prorsus abhorrebat; toto animi ardore in contemplanda Christi passione magnum diei spatium insumebat, atque intimam die noctuque cum Deo unionem habebat. Plures probati testes enarrant Dei Famulam Gemmam, postremis suae vitae annis frequenter extra sensus raptam, diuturnas et admirabiles exstases, uti de multis sanctis legitur, habuisse, et eximiis a Deo gratiis cumulatam esse; quas inter illa potissimum recensetur, qua ita Gemma in sua virginea carne vivam Iesu Christi imaginem reddidit, ut singula Eius passionis supplicia mystice passa sit, et arcana quadam virtute, palmas pedesque quasi transfixos clavis et latus velut acuta cuspide vulneratum senserit, vulnerumque ci-

catrices seu stigmata aliquando visibilter apparerent. Item fertur illa ipsius Domini Iesu et Virginis Mariae apparitione, Angeli sui consuetudine, eorumque collocutione saepissime dignata esse ; aliasque extraordinarias supernorum charismatum manifestationes saepe saepius habuisse. Quae quidem omnia, ab ipsa Serva Dei, sui spiritus moderatoris iussu, latius ac diffusius litteris mandata, plane demonstrare videntur, pergrandem electae Virginis Gemmae mentis et cordis fuisse cum Christo unionem, ita ut vere cum Apostolo Paulo dicere posset : *Christo confixa sum Cruci ; vivo autem iam non ego ; vivit vero in me Christus.*

His in adiunctis Dei Famula, quae iampridem in aliquam religiosam familiam adscita Deo servire exoptaverat, ad institutum Sanctimonialium a Passione Iesu Christi se vocari arbitrata est, ut asperiorem posset ducere vitam et dominicam Passionem impensiori posset contemplari studio; quod quidem praecipuus est finis, in sacram veluti hereditatem suis asseclis a sanctissimo conditore Paulo a Cruce relictus. Instanter ergo postulavit, ut in huiusmodi sanctimonialium virginum domum, quae Tarquiniae in Etruria extabat, reciperetur ; sed pio Gemmae desiderio plures obstabant difficultates, infirma praesertim eius valetudo et ipsa insuetae supernorum charismatum effusionis fama quae ferebatur, donec morbus, quo tentari coeperat, ita invaluit ut spem omnem eriperet. Attamen etsi Monialibus a Passione adscribi nequit, spiritualiter tamen inter eas adscisci meruit, ob emissam privatim earumdem votorum professionem. Ceterum in saeculo degens, sui spiritus moderatoribus piissimis viris s. m. Ioanne Volpi Praesule et P. Germano a S. Stanislao, Congregationis Clericorum Ss. Crucis et Passionis D. N. I. C. Presbytero, mirando religiosae vitae spectaculo et christianae perfectionis exemplo erat : ipsa namque virtutes omnes tum theologales tum morales heroico exercuit gradu ; et haud dubie dici potest tota eius vita in virtutum exercitatione fuisse posita. Sanctam vero vitam, totam *absconditam cum Christo in Deo* transactam, divini amoris vi magis quam morbi consumptam, die undecima Aprilis mensis, anno millesimo nongentesimo tertio, in pervigilio Paschatis Resurrectionis, placidissime in sui caelestis Sponsi amplexu cum immortali vita commutavit.

Vix demortua, exanime corpus, lugubri veste Religiosarum a Passione S. Pauli a Cruce indutum, solemni pompa in coemeterium delatum, in exculto tumulo conditum est. Sanctimoniae Dei Famulae fama, apud multos, ipsa vivente, pervulgata, post eius obitum non solum permansit, vero etiam magis in dies augebatur. Quare septem post annos de Famulae Dei Gemmae Galgani, virginis saecularis, Beatificationis et Canonizationis Causa coeptum est agitari, et primum quidem in Lucensi curia

processus ordinarius constructus est, ut tempestive de Famulae Dei vita et sanctitate monumenta colligerentur, actore Instituto a Cruce et Passione D. N. I. C., cuius sodalibus semper ipsa spiritualiter fuit addictissima. Quo processu condito, processus quoque peracti sunt tum super scriptis tum super non cultu, quem vocant, et ad sacrorum Rituum Congregationem delati; ac, servato iuris ordine, fel. rec. Benedictus Decimus quintus, Antecessor Noster, sua manu die vicesima octava Aprilis mensis, anno millesimo nongentesimo vicesimo introductionis Causae commissionem signavit. Quare statim apostolicus processus ad iuris tramitem de Servae Dei virtutibus et miraculis inceptus est et Pisis peractus; rite vero, venerabili Fratre Nostro Ianuario S. R. E. Cardinale Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopo Albanensi, Causae Ponente, in comitiis tum antepraeparatoriis et praeparatoriis, tum generalibus discussum est super dubio de Famulae Dei virtutum theologalium et cardinalium heroicitate; quae disceptatio cum felicem sortita fuerit exitum, fel. rec. Decessor Noster Pius Undecimus, vicesima nona die mensis Novembris, anno millesimo nongentesimo trigesimo primo, constare edixit: *de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, Famulae Dei Gemmae Galgani, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mox autem ad eiusdem venerabilis Servae Dei Beatificationis Decretum obtinendum de binis miraculis, quae, illius virginis patrocinio implorato, a Deo patrata dicebantur, disceptatum est atque, omnibus servatis de iure servandis, idem quem supra memoravimus Pontifex Pius Undecimus, quinta Februarii mensis die anno extra ordinem iubilari millesimo nongentesimo trigesimo tertio, constare decrevit de duobus miraculis, Venerabili Gemma Galgani intercedente, a Deo patratis, nempe: *Instantaneae perfectaeque sanationis tum Mariae Menicucci ab arthrosinovite thraumatica dexteri genus, tum sacerdotis Ulyxis Fabrizi a gravi ulcere varicoso in dextera tibia.*

Die vero undevicesima eiusdem mensis et anni Decreto edito, quod de *tuto* nuncupatur, Apostolicae sub anulo Piscatoris Litterae ab eodem Summo Pontifice quartadecima die mensis Maii, eodem anno, datae sunt, quibus venerabilis Dei Famula Gemma Galgani, Virgo saecularis Lucensis, Beata renuntiabatur; et eadem die beatificationis solemnia in Basilica Vaticana ingenti pompa et fidelium frequentia celebrata sunt.

Hisce vix peractis, nova iam ferebantur ab omnipotente Deo, Beatae illius Virginis patrocinio implorato, miracula; quare de causae reassumptione ad Beatae Gemmae canonizationem obtinendam, enixae per dile-

ctum Filium Aegidium a Sacris Cordibus e Congregatione Clericorum excalceatorum Ss. Crucis et Passionis D. N. I. C., sollertissimum nobilis huius Causae Postulatorem, ad Apostolicam Sedem oblatae sunt preces, quibus Decessor Noster Pius Undecimus benigne annuens, Commissionem reassumptionis Causae Canonizationis die sexta et vicesima Iulii mensis, eodem anno, sua manu signavit; atque duo profecto proposita sunt Sanctae Sedis iudicio miracula ad canonizationem ipsam assequendam. Ambo haec miracula in oppido Consentinae archidioecesis vulgo *Lappano* ita evenisse feruntur. Elisa Scarpelli Rosarii et Natalinae Gallo filia, decimum annum agens, Septembri mense, anno millesimo nongentesimo trigesimo secundo, in sinistra gena tentari coepit morbo, quem Lupum vulgarem medici appellant, quique adeo brevi succrevit, ut ulcerosa adenites et fistulosus sinus sanie manans adderentur. Omnibus medicis curis incassum adhibitis, quartadecima die mensis Maii, sequenti anno, matutinis horis, dum morbus adhuc suo vigore saeviebat, Beata Gemma unice fuit invocata; circa autem undecimam horam, dum in Vaticana Basilica Gemmae eiusdem Beatificationis solemnia agebantur, Elisa, super ulcerosam genam suam novensilis Beatae imagine imposita eiusque ope ardentius implorata, illico se sanatam vidit; ulcera enim pelle contecta, fistula autem omnino clausa inventa sunt, nullo morbi consectario remanente. Sanationem instantaneam et perfectam in medica arte periti verum miraculum conclamaverunt.

Miraculum alterum ita evenisse describitur. Natalis Scarpelli q. Ioannis et Angelae Scarpelli, ex eodem quod supra diximus oppido *Lappano*, iam ab anno millesimo nongentesimo duodevicesimo varicibus in sinistro praesertim crure affectus, die tertia Aprilis mensis anni millesimi nongentesimi trigesimi quinti ob accidentale trauma in eodem laevo crure cutis lacerationem passus est, quae diu neglecta in ulcus varicosum cito evasit. Serotinis horis trigesimae sequentis mensis Maii diei morbo ingravescente, infirmus eiusque filia et uxor fervida prece Beatae Gemmae patrocinium ad sanationem obtinendam invocant, apposita quoque de Beatae reliquiis particula super ulcus sanie manans. Mane facto, nova pellis ulceri obducta, siccaque inventa fascia vulnus obvolvens, nullus amplius dolor, nullum infirmitatis vestigium. Natalis ad pristina rediit officia perfecte sanatus; periti vero physici unanimi consensu sanationem illam ultra naturae vires contigisse declararunt.

De duabus his miris sanationibus instructis iudicialibus tabulis, ter de more in sacrorum Rituum Congregationis comitiis, nempe in antepraeparatorio et praeparatorio coetu diebus vicesima octava Iunii et quintadecima Novembris, anno millesimo nongentesimo trigesimo octavo,

et die vicesima quarta Ianuarii subsequentis anni coram Pio Papa Undecimo disceptatum est, et a venerabili Fratre Ianuario S. R. E. Cardinale Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopo Ostiensi et Albanensi, Causae Relatore, proposito dubio: *An et de quibus miraculis constet, post indultam Beatae Gemmae Galgani ab Apostolica Sede venerationem, in casu et ad effectum de quo agitur,* omnes Patres Cardinales, Officiales Praelati et Patres consultores suam aperuerunt mentem; Summus vero Pontifex suam dare distulit sententiam; quam paulo post dilecto Filio Salvatori Natucci, Promotori Generali Fidei, favorabilem esse dixit et approbationis decretum praeparari iussit, ad proximam decimam nonam Februarii mensis diem coram Se promulgandum.

Verumtamen quum Deo placuisset fidelissimum Servum suum ad promerita praemia aeterna die decima eiusdem mensis advocare, Nos, qui, licet immerito, illi in supremo pontificio munere successimus, acta omnia in nobilissima hac Causa approbantes, ad Nos arcessiri iussimus die vicesima sexta mensis Martii, Dominica Passionis, venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Causae Ponentem, et Carolum Salotti, S. Rituum Congregationis Praefectum, nec non dilectos Filios Alfonsum Carinci, eiusdem S. Congregationis a Secretis, et Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem Generalem; divinoque sacrificio pie oblato, solemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis a Deo per Beatae Gemmae Galgani intercessionem patratis, nempe de instantanea perfectaque sanatione tum Elisae Scarpelli a morbo dicto «Lupus vulgaris» in gena sinistra cum adenitibus submaxillaribus exulceratis et fistulosis, tum Natalis Scarpelli a grave ulcere varicoso in sinistro crure.*

Ut autem iuridice constaret a Sacrorum Rituum Congregatione omnia in hac Causa iuxta Sacros Canones rite peracta esse, dubium erat discutiendum: an, stante approbatione duorum miraculorum post indultam Beatae Gemmae Galgani ab Apostolica Sede venerationem, *tuto* procedi posset ad solemnem ipsius Canonizationem. Die igitur secunda Maii, superiore anno, coram Nobis in generalibus comitiis dubium hoc propositum est, cui omnes adstantes tum Cardinales, tum Officiales Praelati et Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero Nostram edere sententiam distulimus, ut a Deo maiori illustraremur lumine; et die tertia et vicesima Iulii eodem anno, *Tuto* procedi posse ediximus ad solemnem Beatae Gemmae Galgani, Virginis, canonizationem.

Quibus omnibus uti supra peractis, ut in tanti momenti negotio constitutus a Praedecessoribus Nostris ordo servaretur, primum Venerabi-

les Fratres Nostros S. R. E. Cardinales die undecima Decembris mensis praeterito anno apud Nos in Palatii Apostolici Vaticani aula in Consistorium secretum arcessivimus; in quo venerabilis Frater Noster S. R. E. Cardinalis Carolus Salotti, Episcopus Praenestinus, Praefectus Congregationis Sacrorum Rituum, brevem prius sermonem habuit de vita et miraculis tum Beatae Mariae a S. Euphrasia Pelletier, Virginis monialis professae, tum Beatae Gemmae Galgani, atque acta omnia recensuit, quae in earumdem Beatarum Virginum Causis a S. Rituum Congregatione perstricto examine admissa et approbata sunt; Nos dein singulorum Patrum Cardinalium suffragia exquisivimus atque excepimus. In Consistorium vero publicum die septima mensis Martii decurrentis anni eosdem Patres Cardinales iterum apud Nos coëgimus, in quo dilectus Filius Aloisius Philippus Re, sacrae aulae consistorialis Advocatus, relatis breviter vita et miraculis Beatae Gemmae pro eius Canonizatione institit, prout similiter egit pro Beata Maria a S. Euphrasia alter Advocatus Augustus Milani. Nos autem novis hisce sanctitudinis gemmis fulgens Ecclesiae exornare diadema simulque nova exempla hominibus ad imitandum proponere valde exoptare significavimus, et iuxta postulationem ac oblata vota concedere ut Nostri Pontificatus cursus harum duarum virginum consecratione decoretur, in Petrianae Basilicae maiestate solemniter habenda. Attamen Nos, quamvis rem properare vehementer cuperemus, gravissimam hanc causam antea decernere nolle diximus quam in Consistorio Semipublico, quod vocatur, in quo tum Purpurati Patres tum Sacrorum Antistites, qui ad suam cuiusque mentem hac super re aperiendam convenerint, sententiam de more rogavissemus; omnes porro adstantes admonuimus ut Spiritus Sancti lumen menti Nostrae, suis adhibitis precibus, interea conciliarent. Mandavimus igitur ut singulis venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, nec non Praelatis seu Aboatibus *nullius,* quibus ius est, breve commentarium mitteretur de Beatae Gemmae Galgani vita, virtutibus et miraculis, nec non in eius Causa actorum omnium, ut, re cognita et perspecta, suam quisque posset sententiam ferre et Nobis aperire; ad diem vero quartam p. e. mensis Aprilis illos in Consistorium *semipublicum* coram Nobis in aula Palatii Apostolici Vaticani convocavimus ut de Beatarum Mariae a S. Euphrasia Pelletier et Gemmae Galgani Canonizatione ageretur. Nos autem, eos antea allocuti, quid de propositis Causis sentirent Nobisque alius ex alio quid opinarentur ultro aperteque Nobiscum communicare vellent ab ipsis exquisivimus. Exceptis vero adstantium suffragiis, Nos concordi voce concordique animo illos Nobiscum consentire

laetati sumus admodum ac pro certo habere inquimus communem sententiam Nostram illorum et christifidelium omnium votis ac precibus respondere.

Nihil igitur cunctandum esse duximus ut mentem Nostram aperiremus; Nobis scilicet deliberatum esse diximus rem in Petriana Basilica sollemni apparatu sollemnibusque caerimoniis agere die secunda proximi mensis Maii, Ascensioni D. N. Iesu Christi dicata. Atque interea eos omnes rogavimus preces suas ne intermitterent, ut laetabilis eventus iste ad Dei gloriam, per sancte vivendi exempla manifestandam, summopere conferre posset, id quoque comprecantes ut hoc, quod omnes communibus votis praestolabantur, cum Catholicae Ecclesiae, tum universo humano generi, trepidis in praesens afflictisque rebus laboranti, propitium, faustum ac salutare esset.

De quibus instrumenta, a dilectis Filiis Apostolicae Sedis Protonotariis exarata, in S. Romanae Ecclesiae tabularium perferri iussimus.

Quum itaque auspicatissima a Nobis praestituta dies advenerit, plurimi tam saecularis quam regularis cleri ordines, Romanae Curiae Praesules et Officiales una cum venerabilibus Fratribus Abbatibus, Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis atque S. R. E. Cardinalibus ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam, magnificentissimo decoratam apparatu et innumeris splendentem luminibus, atque praegrandi fidelium stipatam frequentia convenerunt; eamque Nos quoque, devota illis supplicatione praeeuntibus, solemni pompa ingressi sumus; atque, devotissime Ssmae Eucharistiae Sacramento adorato, ad Nostram adivimus cathedram, ibique sedimus. Tum venerabilis Frater Noster S. R. E. Cardinalis Carolus Salotti, Episcopus Praenestinus, Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus et huic Canonizationi procurandae praepositus, per dilectum Filium Augustum Milani, Consistorialis Aulae Nostrae Advocatum, a Nobis *instanter* postulavit, ut sanctitatis infula Beatas Virgines Mariam a S. Euphrasia Pelletier et Gemmam Galgani honestare vellemus et eas Sanctas ab universa catholica Ecclesia haberi debere Nostro inerranti oraculo pronunciaremus. Quod quidem cum iterum ac tertio, *instantius* nempe et *instantissime* uti de more factum sit, omnium Sanctorum patrocinio invocato et Sancto Divino Spiritui admotis precibus ad lumen menti Nostrae uberius implorandum, ut Ipse in hac tanti momenti re Nos regeret et dirigeret, Nos, universalis catholicae Ecclesiae Magister, ex *cathedra una super Petrum Domini voce fundata*, falli nesciam hanc sententiam sollemniter hisce pronunciavimus verbis: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu*

*Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio, Beatas Mariam a Sancta Euphrasia Pelletier et Gemmam Galgani Sanctas esse decernimus, et definimus ac Sanctorum catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia universali illarum memoriam quolibet anno, die earum natali, nempe Beatae Mariae a Sancta Euphrasia Pelletier die vigesima quarta Aprilis et Beatae Gemmae die undecima Aprilis, inter sanctas virgines non martyres pia devotione recoli debere. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

Qua Canonizationis formula ita a Nobis pronuntiata, oblatis Nobis a praefato Consistoriali Advocato, eiusdem Cardinalis Procuratoris nomine, annuentes precibus, Decretales hasce Litteras Apostolicas de eadem Canonizatione confici expedirique iussimus; ab adstantibus vero Protonotariis Apostolicis ad perpetuam eius memoriam instrumenta confici mandavimus. Gratiis porro ob tantum beneficium Omnipotenti Deo una cum universo adstante clero et populo peractis, novensilium Sanctarum a Deo Ipso opem primum invocavimus. Homilia dein adstantes allocuti sumus, in qua, hodiernae festivitatis occasionem nacti, fideles adhortati sumus in tot rerum adversis, quibus premimur, considerare Christi Ascensionem non solum omnium nostrum animos superno affícere solatio, sed etiam spem exacuere atque adaugere caelestis assequendae beatitatis. Nam, inquimus, ut Decessor Noster Leo Magnus ait, *Christi Ascensio nostra provectio est, et quo praecessit gloria Capitis, eo spes vocatur et corporis.* Verumtamen ut sempiternam illam, quam Nobis Divinus Redemptor comparavit, gloriam in caelis assequamur, omnino necesse est ut, dum in terris agimus, sanctissimis eius vestigiis insistamus; ad eosque mentis oculos convertamus, qui antequam, qua in praesens fruuntur, felicitatem adipiscerentur, in mortalis huius vitae palaestra difficultates non paucas luctationesque perpessi sunt, quas quidem, divina suffragante gratia, feliciter superarunt.

Considerationi propterea christifidelium proposuimus duas illas caelites, modo sanctitudinis laurea decoratas, earumque breve texuimus elogium, atque utriusque propriam voluimus sanctitatis nota ostendere et ad imitandum proponere, omnesque ad superna oculos e terrificis diri belli fluctibus vertere, quo populi fraterna nunc caede vexantur, admonuimus, ut, Christi vestigia Salvatoris sequentes, caelites has virgines, quae iam felices eius gloria fruuntur, suppliciter adprecari non modo ut propitiae velint in nos exsules intueri, nosque per christianae virtutis

gradus enitentes, ad sempiternam patriam, divina impetrata gratia, secum ducere; sed etiam velint a Deo contendere ut gentes ac populi omnes, communis naturae communisque Patris ac Creatoris memores, si contentione disiuncti, unitatem, si odio exagitati, concordiam, si simultate digladiantes, pacem tandem aliquando redintegrent.

Qua homilia a Nobis perlecta, pontificalem benedictionem ac plenariam indulgentiam omnibus praesentibus peramanter impertivimus atque mox pontificale sacrum solemni ritu Nos Ipsi, Deo favente, celebravimus. Ita igitur praeclarissimae novensilis huius Sanctae, Gemmae Galgani Virginis, cui nomen omen quaeque *flos Dominicae Passionis* iure meritoque dicitur, nostris hisce Litteris consecrata memoria, atque omnibus quae inspicienda erant rite perpensis, certa scientia, universa et singula, quae antea memoravimus, apostolicae potestatis plenitudine confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus universaeque Ecclesiae Catholicae denunciamus. Volumus autem ut harum Litterarum Decretalium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus habeatur fides, quae hiscemet praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent. Si quis vero has Litteras Nostras definitionis, decreti, mandati et voluntatis, ausu temerario, infrigere vel eis contraire seu attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo, die secunda Maii mensis, in festo Ascensionis D. N. I. C., Pontificatus Nostri anno secundo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego IANUARIUS Episcopus Ostiensis et Albanensis Cardinalis GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE, Decanus Sacri Collegii.

✠ Ego Fr. TH. PIUS, Ord. Praed., Episcopus Portuensis et S. Rufinae Cardinalis BOGGIANI, Cancellarius S. R. E.

✠ Ego HENRICUS Episcopus Veliternus Cardinalis GASPARRI.

✠ Ego FRANCISCUS Episcopus Tusculanus Cardinalis MARCHETTI SELVAGGIANI.

✠ Ego CAROLUS Episcopus Praenestinus Cardinalis SALOTTI.

✠ Ego HENRICUS Episcopus Sabinensis et Mandelensis Card. SIBILIA.

Ego ALEXIUS tituli S. Callisti Presbyter Cardinalis ASCALESI.

Ego IOANNES BAPTISTA tituli S. Mariae in Transpontina Cardinalis NASALLI ROCCA DE CORNELIANO.

Ego ALEXANDER tituli S. Mariae in Cosmedin Cardinalis VERDE.

Ego LAURENTIUS tituli S. Pancratii Presbyter Cardinalis LAURI, Paenitentiarius Maior.

Ego ALOISIUS tituli S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis LAVITRANO.

Ego Fr. RAPHAEL tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis ROSSI.

Ego PETRUS tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI-BIONDI.

Ego FRIDERICUS tituli S. Mariae de Victoria Presbyter Cardinalis TEDESCHINI, Datarius.

Ego FRANCISCUS tituli S. Caeciliae Presbyter Cardinalis MARMAGGI.

Ego ALOISIUS tituli S. Pudentianae Presbyter Cardinalis MAGLIONE.

Ego CAROLUS tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis CREMONESI.

Ego PETRUS tituli S. Angeli in Foro Piscario Presbyter Card. BOETTO.

Ego EUGENIUS tituli S. Mariae supra Minervam Presbyter Cardinalis TISSERANT.

Ego ADEODATUS IOANNES tituli S. Priscae Presbyter Cardinalis PIAZZA.

Ego HERMENEGILDUS tituli S. Laurentii in Paneperna Presbyter Cardinalis PELLEGRINETTI.

Ego IOSEPH tituli S. Mariae in Via Lata Presbyter Cardinalis PIZZARDO.

Ego CAMILLUS Protodiaconus S. Mariae in Domnica Cardinalis CACCIA DOMINIONI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. CANALI.

Ego DOMINICUS S. Apollinaris Diaconus Cardinalis JORIO.

Ego VINCENTIUS Ss. Cosmae et Damiani Diaconus Cardinalis LA PUMA.

Ego FRIDERICUS S. Mariae in Aquiro Diaconus Cardinalis CATTANI.
Ego MAXIMUS S. Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis MASSIMI.
Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
*Cancellarius S. R. E.*

CAROLUS Card. SALOTTI
*S. R. C. Praefectus*

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Vincentius Bianchi Cagliesi, *Proton. Apost.*

Can. Alfridus Liberati, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*
Georgius Stara Tedde, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA
die vicesima octava Martii, anno tertio
Alfridus Marini, *Plumbator.*

*Reg. in Canc. Ap., vol. LXIII, n. 36.* – Al. Trussardi, *a tabulario.*
Alfridus Marini, *Scriptor Apostolicus.*

## LITTERAE APOSTOLICAE

BASILICAE MINORIS HONORIBUS DECORATUR ARCHIPRESBYTERALE TEMPLUM AD HONOREM SANCTI AMBROSII EPISCOPI ET DOCTORIS, IN URBE « MONFALCONE » INTRA FINES GORITIENSIS ARCHIDIOECESIS, DEO DICATUM.

### PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat intra Goritiensis Archidioecesis fines, in urbe vulgo « Monfalcone » nuncupata, templum conspicuis artis operibus exornatum structuraque praenobili exstructum, sub titulo Sancti Ambrosii Episcopi Confessoris et Ecclesiae Doctoris, in loco conditum ubi iam eodem titulo templum saeculo decimo tertio erectum prostabat. Sacrum enim vetus aedificium postremi belli europaei tempore penitus eversum est, ita ut ad spirituale animorum bonum procurandum, votaque civium complenda novum templum amplitudine, quae civitatis necessitatibus satis responderet, exaedificari necesse fuerit. Nunc autem iam expletam sacram Aedem frequentissimi, eximiis religionis signis, fideles visitant lustrantque; in eademque archipresbyter-decanus cum urbis clero sacras functiones maximo decore peragunt. Haec animo repetentes, cum Venerabilis Frater Goritiensium et Gradiscanorum Archiepiscopus, occasionem nactus sollemnium saecularium in honorem Sancti Ambrosii Episcopi Confessoris et Ecclesiae Doctoris, Nos humiliter rogaverit, nomine quoque procerum, cleri, populique Montisfalconis, ut tem-

plum memoratum, omni titulo dignum, ad Basilicae Minoris dignitatem evehere velimus, Nos optatis huiusmodi concedendum ultro libenterque censemus. Audito itaque Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, templum archipresbyterale-decanale ad honorem Sancti Ambrosii Episcopi Confessoris et Ecclesiae Doctoris Deo dicatum in urbe « Monfalcone », intra fines Goritiensis archidioecesis, *Basilicae Minoris* titulo dignitateque, omnibus iuribus ac privilegiis, quae rite competunt, adiectis, condecoramus, contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec statuimus, concedimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse et definiendum irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII m. Decembris, an. MCMXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

## EPISTULA

AD EMUM P. D. ALOISIUM S. R. E. PRESB. CARD. MAGLIONE A PUBLICIS ECCLESIAE NEGOTIIS : PUBLICAE SUPPLICATIONES ITERUM INDICUNTUR AD POPULORUM PACEM CONCILIANDAM.

### PIUS PP. XII

Dilecte Filii Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quamvis plane confidamus fore ut, hortativas litteras recordantes superiore anno a Nobis datas,[1] per mensem etiam Maium, qui proxime appetit, christifideles — pueri praesertim suis matribus patribusque ducibus — ad Deiparae Virginis aram ex more adeant, pacem anxio ac trepido humano generi impetraturi, cupimus tamen per te iterum adhortari omnes, ut quo acrius bellica conflagratio exurat ac cruciet animos, quo formido-

[1] Cf. *A. A. S.*, 1940, p. 144.

losiora in tot gentes ac populos discrimina omne genus incumbant, eo fidentius ad caelum supplices manus attollant, unde solummodo potest, in tanta mentium rerumque perturbatione, spes affulgere meliorum temporum. Quodsi nondum nostris precibus ac votis felix arrisit exitus, non est idcirco concidendum animo, sed constanti assiduaque pietate perseverent omnes oportet « in tribulatione patientes, orationi instantes ».[2]

Arcana nobis sunt Aeterni Numinis consilia ; novimus tamen, quamvis tot tantaque admissa eum provocent ad ulciscendum, nihilo secius Patrem esse misericordiarum et Deum totius consolationis, [3] eiusque erga nos caritatem bonitatemque omnino esse infinitam.

Ac praeterea aliud est, quod nos ad confidendum excitet et ad bene sperandum. Habemus siquidem apud Altissimi solium benignissimam Dei nostrumque omnium Matrem, quae omnipotenti deprecatione sua ab eo nobis omnia impetrare potest. Eius igitur tutelae nos nostraque omnia concredamus. Excipiat eadem preces ac vota nostra; excipiat pia paenitentiae opera caritatisque largitiones, quae nos ad divinam nobis propitiandam Maiestatem quam plurima offeramus. Tot lacrimas detergat, tot angustias relevet, tot dolores mulceat, eaque supernorum bonorum spe leviora efficiat ac tolerabiliora.

Quodsi nos, nostrorum commissorum memores, materna eius beni gnitate nos indignos profitemur, puerulos nostros, quorum animi candidi sunt, quorum labella insontia, quorumque nitentes oculi quasi aliquid videntur referre ac reverberare superni luminis, ad eius sacratissimam aram, causam nostram peroraturos, proximo praesertim mense Maio frequentissimos advocemus. Impetrent iidem, una nobiscum comprecantes, ut quacumque invidens serpat cupiditas, eo influat amor; ubicumque saeviat iniuria, eo inducatur venia; ubi discordia dividat animos, eos inibi concordia iungat ac coagmentet; ubi denique strideant inimicitiarum furiae omniaque misere subvertant, inibi redintegratae amicitiae foedera mentes serenent, res omnes tranquillent, rectoque ordine componant. A benignissima Dei Matre infelicibus omnibus — profugis potissimum, patria extorribus, iisque qui, vel in custodiam sunt traditi, vel in valetudinariis sauciato corpore iacent — superna deposcant solacia; ab eademque, suis innocentibus exorata vocibus, efflagitent ut teterrimae huius calamitatis dies breviores fiant, ita quidem ut « qui ex merito nostrae actionis affligimur, divinae gratiae consolatione respiremus » ; [4]

[2] Rom., XII, 12.

[3] Cf. II Cor., 1, 3.

[4] Cf. Brev. Rom., Dom. IV in Quadr.

atque adeo tandem aliquando plena, solida ac durabilis pax e caelo affulgeat, quae, sacra iustitiae maiestate caritatisque virtute conformata, non latentia discordiarum simultatumque germina, non futurorum bellorum semina ferat, sed gentes omnes, fraternis amicitiae vinculis coniunctas, ac sui laboris fructibus libera fruentes tranquillitate, per terrenae huius vitae itinera ad caelestem patriam fidentes comitetur ac dirigat.

Velis interea, Dilecte Fili Noster, paterna haec vota hortamentaque Nostra opportuniore, quo duxeris, modo omnibus nota reddere, imprimisque sacrorum Antistitibus, quorum profecto erit eadem cum suo cuiusque grege communicare.

Ac caelestium munerum auspicem Nostraeque benevolentiae testem, cum tibi, Dilecte Fili Noster, tum iis omnibus, pueris nominatim, qui hortationi huic Nostrae pio volentique respondebunt animo, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XX mensis Aprilis, Dominica in Albis, anno MDCCCCXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

## NUNTIUS RADIOPHONICUS

A BEATISSIMO PATRE, DIE XIII APRILIS A. MCMXLI, IN PASCHATE RESURRECTIONIS D. N. IESU CHRISTI, UNIVERSO ORBI DATUS.

1. Di cuore inviamo a tutti voi, diletti figli e figlie di Roma e del mondo intero, l'Alleluia pasquale, gaudio di risurrezione e di pace in Cristo, dopo la mestizia della sua divina passione; ma, pur troppo, la pace fra i popoli non è risorta, e al Nostro saluto di gaudio a voi, viene frammista quella nota di dolore che metteva in tristezza grande e in continuo affanno il cuore dell'Apostolo Paolo, pensoso dei suoi fratelli, che erano del suo sangue. [1] Nel lacrimevole spettacolo di scontri umani a cui assistiamo, pur riconoscendosi il valore e la fedeltà di tutti coloro che, con intimo leale senso di dovere, combattono per la difesa e la prosperità del loro Paese, e il prodigioso e per sè fecondo sviluppo dell'industria e della tecnica, pur non ignorando che non sono mancati lodevoli e generosi atti di alta umanità verso il nemico, è d'uopo enun-

[1] *Rom.*, IX, 2.

ciare che l'immane conflitto ha, in parte, preso forme di lotta da non poter essere designate che come atroci. Possano tutti i belligeranti, che pure hanno cuori umani plasmati in grembo di madri, avere viscere di carità per le sofferenze delle popolazioni civili, per le donne e i bambini inermi, per gl'infermi e i vecchi, esposti spesso in più aperti e forti pericoli di guerra che non sul fronte i soldati in armi ! Dall'uso di ancor più micidiali strumenti di lotta Noi supplichiamo i belligeranti di astenersi fino all'ultimo : ogni novità di tali mezzi ha per contraccolpo inevitabile da parte dell'avversario l'uso della medesima nuova arma, talora più aspra e fiera. Che se già fin da ora si deve lamentare che ripetutamente si siano sorpassati i confini di quanto permette una guerra giusta, un crescente inasprimento dei mezzi di offesa non travolgerebbe ben presto la guerra in un inconcepibile orrore ?

2. Nel turbine di tanti mali e pericoli, di tanti affanni e timori, poichè il più potente e sicuro rifugio di fiducia e di pace che ci resta è il ricorso a Dio, nelle cui mani stanno non solo le sorti degli uomini, ma anche quelle dei loro più ostinati contrasti ; Noi ringraziamo i cattolici di tutto il mondo per l'ardore con cui corrisposero al Nostro invito alla preghiera e al sacrificio per la pace il 24 novembre scorso. Oggi, a voi e a quanti elevano il cuore e le mani a Dio Noi ripetiamo ed esortiamo : Non venite meno nella preghiera, ma ravvivatela e raddoppiatela. Sì : preghiamo per una pronta pace. Preghiamo per una pace per tutti ; non per una pace di oppressione e di distruzione di popoli, ma per una pace che, garantendo l'onore di tutte le Nazioni, soddisfaccia alle loro necessità vitali e ai legittimi diritti di tutti.

3. Alla preghiera presso Dio in ogni tempo abbiamo congiunto l'opera Nostra. Ciò che si poteva fare o tentare per evitare o abbreviare il conflitto, per rendere umani i metodi di guerra, per alleviare i dolori che ne conseguono, per portare aiuto e conforto alle vittime di guerra, fu da Noi compiuto fino al limite estremo del Nostro potere e col vigile senso dell'imparzialità inerente all'apostolico Nostro ufficio. Con inconfondibile chiarezza non abbiamo dubitato di indicare i necessari principi e sentimenti, da cui una futura pace vuol essere sorretta e determinata, a rendere sicuro l'intimo e il leale consenso dei popoli. Ma è pena per Noi il vedere come troppo deboli ancora siano le congetture probabili per il pronto maturarsi di una pace giusta di fronte alla coscienza umana e cristiana.

Onde tanto più viva, tanto più alta e fervida conviene ora che sia la Nostra invocazione al cielo, perchè si formi, si radichi e cresca un nuovo spirito in tutti i popoli, segnatamente in mezzo a quelli, la cui

maggior potenza si appropria e svolge un più forte influsso e una crescente responsabilità; uno spirito di prontezza non finta, ma retta e scevra di artifizi, presta a intraprendere, con mutui sacrifici, sulle rovine accumulate dalla spada il nuovo edificio di una fraterna solidarietà tra le Nazioni della terra: con nuove pietre e più salde, con ferme e stabili garanzie, con conscia e alta serietà morale, con ripudio di ogni doppia moralità e doppio diritto fra grandi e piccoli, fra forti e deboli.

La verità, come l'uomo, non ha che una faccia; e la verità è l'arma Nostra, come la Nostra difesa e potenza è la preghiera, come il Nostro adito ai cuori è la viva, aperta, disinteressata parola apostolica, mossa da sentimenti paterni.

Non sono armi di offesa e di sangue, ma armi dello spirito, le armi della Nostra mente e del Nostro cuore. Nulla può rattenerCi o impedirCi di adoperare queste armi a servigio del diritto, della vera umanità e della genuina pace, dovunque il sacro dovere del Nostro ufficio Ci richiede luce e il *Misereor super turbam* sospinge il Nostro amore. Nulla può impedirCi dal richiamare sempre di nuovo al precetto dell'amore coloro che sono figli della Chiesa di Cristo, che Ci sono vicini con la fede nel Salvatore, o almeno nel Padre che è nei cieli. Nulla può impedirCi o rattenerCi dal proseguire a fare quanto è da Noi, affinchè, nel cozzo dei crescenti flutti delle inimicizie fra i popoli, l'arca divina della Chiesa di Cristo stia immota sull'ancora della speranza, sotto l'arcobaleno della pace, quale *beata pacis visio* fra i contrasti terreni, rifugio, dimora e alimento di quel sentimento fraterno, fondato in Dio e nobilitato all'ombra della Croce, dal quale solo potrà iniziarsi la sicura rotta per uscire dal tempestoso pelago di oggi e venire a proda in un più felice e degno domani.

4. Noi pertanto, sotto il vigilante e provvido sguardo di Dio, con le armi della preghiera, dell'esortazione e del conforto persevereremo a combattere per la pace, a vantaggio della misera umanità. Scendano le benedizioni e i conforti divini su tutte le vittime della guerra: su voi, prigionieri, e sulle vostre famiglie lontane e in travaglio per voi; su voi profughi, dislocati e traslocati, che avete perduto case e campi, sostegno della vostra vita. Noi sentiamo la vostra ambascia e soffriamo con voi. Se non Ci è dato — come vivamente vorremmo — di prendere su di Noi il peso delle vostre pene, vi sia un balsamo l'intima Nostra commiserazione paterna, che temperi l'amarezza della vostra sventura con l'odierno saluto dell'Alleluia, canto del trionfo di Cristo sul martirio di quaggiù, fiore dell'olivo del Getsemani verdeggiante dell'ammirabile speranza nella resurrezione e nella vita che non ha più dolori nè lutti nè tramonti.

In questa terra di pianto non v'è nessuna ferma città, [2] nessuna patria eterna. Tutti siamo esuli e raminghi quaggiù; la nostra cittadinanza è in cielo, di là dal tempo, nell'eternità, in Dio. Se le speranze terrene vi hanno amaramente delusi, la speranza in Dio non è fallace nè fallisce. A una sola cosa dovete intendere: non lasciarvi traviare, nè dalla triste sorte nè dagli uomini, a violare la vostra fedeltà a Cristo. Beni e mali sono nel tempo comuni agli uomini; ma sommamente importa, vi diremo con S. Agostino, quale sia l'uso o delle cose chiamate prospere ovvero delle cose chiamate avverse. Perchè il buono nè si esalta per i beni temporali nè per i mali si abbatte; il cattivo invece, poichè si corrompe con la prosperità, è punito dalla infelicità. [3]

Alle Potenze occupanti Paesi durante la guerra, senza venir meno al riguardo loro dovuto, diciamo: La vostra coscienza e il vostro onore vi guidi nel trattare la popolazione delle terre occupate in modo giusto, umano e provvido. Non imponete loro pesi, che voi in simili casi avete sentiti o sentireste come ingiusti. L'umanità prudente e soccorritrice è lode e vanto dei saggi capitani; e il trattamento dei prigionieri e delle popolazioni dei luoghi occupati è il più sicuro saggiatore e indice della civiltà degli animi e delle nazioni. Ma più alto di ciò pensate che la benedizione o la maledizione di Dio per la propria patria potranno dipendere dal modo che voi usate verso coloro, che le sorti della guerra pongono nelle vostre mani.

